

1. OICA 87a: SIGNING OF THE OTHER SENSES

Preces nostras, quæsumus, Domine, clementer exaudi,

et hos catechumenos N. et N.,

quos crucis dominicæ impressione signavimus,

eiusdem virtute custodi,

ut, gloriæ tuæ rudimenta servantes,

per custodiam mandatorum tuorum

ad regenerationis gloriam pervenire mereantur.

Per Christum Dominum nostrum.

2. OICA 95a: INTERCESSIONS FOR THE CATECHUMENS. Oratio conclusiva

(Deus patrum nostrorum,) Deus universæ conditor creaturæ,

te supplices exoramus,

ut hos famulos tuos N. et N.

respicere digneris propitius,

ut sint semper spiritu ferventes,

spe gaudentes,

tuo semper nomini servientes.

Perduc eos, Domine, quæsumus,

ad novæ regenerationis lavacrum,

ut, una cum fidelibus tuis vitam degentes prosperam,

promissionum tuarum æterna præmia consequantur.

Per Christum Dominum nostrum.

3. OICA 121: BLESSINGS OF THE CATECHUMENS

Da, quæ sumus, Domine, catechumenis nostris,

ut, sanctis edocti mysteriis,

et renoventur fonte baptismatis,

et inter Ecclesiæ tuæ membra numerentur.

Per Christum Dominum nostrum.

4. OICA 149: Celebrans, manus super electos extendens, deprecationem hac

oratione concludit:

Deus, qui humani generis ita es conditor,

ut sis etiam reformator,

propitiare filiis adoptionis,

et novo testamento sobolem novae prolis ascribe,

ut, filii promissionis effecti,

quod non potuerunt assequi per naturam,

gaudeant se recepisse per gratiam.

Per Christum Dominum Nostrum.

5. OICA 187 a (also 192): Oratio super electos: Postea celebrans fideles ad

orandum invitat super electos

Oremus pro electis nostris,

ut Deus et Dominus noster

aperiat aures praecordiorum ipsorum

et aperiat ianuamque misericordiae,

ut per lavacrum regenerationis,

accepta remissione omnium peccatorum,

et ipsi inveniantur in Christo Iesu Domino nostro.

6. OICA 187 bis: Oratio super electos

Aeternam ac iustissimam pietatem tuam

deprecamur, Domine,

fons luminis et veritatis,

pro his famulis tuis N. et N.:

munda eos et sanctifica; da eis scientiam veram,

firmam spem, sanctamque doctrinam

ut digni efficiantur accedere ad gratiam Baptismi.

Per Christum Dominum nostrum.

7. OICA 409bis: Oratio super electos

Omnipotens sempiterne Deus,

qui Ecclesiam tuam nova semper prole fecundas,

auge fidem et intellectum electis nostris,

ut, renati fonte Baptismatis,

adoptionis tuae filiis aggregentur.

Per Christum Dominum nostrum.

8. OICA 374bis: Textus Missæ ritualis pro electione. Super oblata

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos ad æternam vitam

in confessione tui nominis baptismatis reparas sacramento,

suscipe tuorum munera et vota famulorum,

ut in te sperantium et desideria iubeas perfici et peccata deleri.

Per Christum.

9. OICA 377: Textus pro Missa in qua celebratur I scrutinium. Super oblata

Da, quæsumus, Domine, electis nostris

digne atque sapienter ad confessionem tuæ laudis accedere,

ut dignitate pristina,

quam originali transgressione perdiderunt,

per tuam gloriam refoventur.

Per Dominum.

10. OICA 381: Textus pro Missa in qua celebratur II scrutinium. Super oblata

Remedii sempiterni munera, Domine,

lætantes offerimus, suppliciter exorantes,

ut eadem nos et digne venerari

et pro salvandis congruenter exhibere perficias.

Per Christum.

11. OICA 385: Textus pro Missa in qua celebratur III scrutinium. Super oblata

Exaudi nos, omnipotens Deus,

et famulos tuos, quos fidei christianæ primitiis imbuisti,

huius sacrificii tribuas operatione mundari.

Per Christum.

12. OICA 230: CELEBRATIO CONFIRMATIONIS

Deus omnipotens, Pater Domini nostri Iesu Christi,

qui hos famulos tuos regenerasti

ex aqua et Spiritu Sancto,

liberans eos a peccato,

tu, Domine, immitte in eos Spiritum Sanctum Paraclitum;

da eis spiritum sapientiæ et intellectus,

spiritum consilii et fortitudinis,

spiritum scientiæ et pietatis;

adimple eos spiritu timoris tui.

Per Christum Dominum nostrum.